# DE SACROSANCTAE VIRGINIS MONTIS ACVTI TRANSLATIONE ET MIRACVLIS PANEGYRIS.

*AD ILL^m. ET R^m. D. D. IOA. ALfonsum Moscosum Malacitanæ Ecclesiæ Episcopum dignißimum.*

AVTORE IOANNE AQVILARIO ANTIquariæ bonarum literarum publico professore.

Anno  1609

*Malacæ apud Ioannem Rene.*
*Anno. 1609.*

YO Miguel de Aguilar Arnao Secretario del Santo Officio de la Inquisicion enel fisco dela ciudad de Cordoua, Notario mayor dela ciudad de Antequera y su Vicaria, doy fe que el Licenciado Ioan de Aguilar Regente dela Cathedra de Latinidad de Antequera, tiene licencia inscriptis de su Señoria Don Ioan Alonso de Moscoso, Obispo de Malaga del Consejo de su Magestad, para imprimir los versos latinos que compuso intitulados De trãslatione, & miraculis sanctissimæ Virginis Montis acuti. Dada la dicha licencia firmada de su Señoria en Malaga a.17. de Abril deste año de. 1609. Y para que conste di el presente en Antequera a dos de Iunio de mil y seiscientos y nueue años.

*Miguel de Aguilar Arnao.*

## *Censura Patris Martini de Roa viri undecumq; doctissimi è Societate Iesu Sacræ scripturæ professoris in Collegio Cordubensi.*

LEgi, relegi panegyricũ hoc carmen ab Ioanne Aquilario D. Virgini Aspricollis dictum, dicatumque. Visum mihi æque pium, ac eruditum, & numerosum; auctore dignum; cuius ego ingenium ab ipso puero noui, probaui, præstiti; pietatem expertus amaui, præcepi doctrinam. Cuncta ostendit euentus: cum in alijs locis, tum Antiquariæ vrbe veteri, ac nobili: vbi ad virtutem iuxta atque litteras, iuuentuti doctrina prçit, sed magis exemplo. Quare de carmine censeo, lucem aspicere, de auctore benignitatem doctissimi, atque pijssimi Præsulis experiri iure, ac merito debere. Cordubæ in Collegio Societ. Iesu. Kal. Mai. an. 1609.

*Martinus de Roa.*

*ILLVSTRISSIMO AC REVE rendißimo D. D. Ioanni Alfonso Moscoso Malacitanæ Ecclesiæ Episcopo dignißimo L. M. D. D.*

TIBI, PRAESVL AMPLISSIme, diuę Virginis Aspricollis nuper, à Belgis Antiquariam translatæ debetur Panegyris. Tibi, inquam, qui tantum laboris, solicitudinis, & liberalitatis in sacratissimæ Virginis triumphum impendisti: qui tua ipsius præsentia, & auctoritate celeberrimam pompam, & solemnia nouendialis sacri decorasti: qui sanctissimæ Virgini argenteam lampadem multorum aureorum opus libens, merito dedicasti. Debetur igitur: a me præsertim scripta; qui totus tuus sum, qui à te semper liberaliter tractatus meæ erga te obseruantiæ, & pietatis ostendendæ occasionem nunquam non optaui; nunc tandem diuinitus oblatam non dimittam. Vale.

*Joannes Aquilarius.*

# LECTORI. S.

*IN CELEBRI ILLO POETarum agone, qui nuper apud nos Antiquariæ editus est in laudem sacrosanctæ Virginis Aspricollis, de trãslatione, deque innumeris, clarißimisque ipsius miraculis in augustißimo eiusdem templo Panegyrim hanc illustrißimo nostro Præsuli, & Ciuitati recitaueram vniuersæ: eam in præsenti offero tibi, pie lector, vt simul & felicitate nostra, qui talem nacti sumus Præsidem gaudere, & Deiparæ Virginis laudibus frui poßis. Fruere, & vale.*

# El licenciado Luis Martin de la Plaça al Autor.

*CON tan heroica voz tu canto ordenas,*
*Cisne Andaluz, que su diuino acento*
*dudosa admiracion le pone al viento,*
*si aun canta el que sepultan las Sirenas.*
*Su propria Musa, pues su trompa suenas,*
*te inspira: mas con noble sentimiento*
*llora escuchando tu animoso aliento,*
*que no ay Virgilio, por faltar Mecenas.*
*Mas si el Heroe Toscano quiso, y pudo*
*darle à Virgilio honor, y à su memoria*
*estimacion el tiempo, gloria humana:*
*Tu de la Virgen luz de Monteagudo,*
*tendras premio inmortal, no humana gloria,*
*que ayer nacio para morir mañana.*

## AL MAESTRO IOAN DE *Aguilar Patrono de la lengua Latina, Poeta excelentißimo.*

*El licenciado L. Valdiuiesso de Burgos.*

D.

EL Panegyrico vuestro
con su artificio y decoro
haze nuestro siglo de oro:
tal obra de tal Maestro.
Tuuo Roma hijos bellos,
y (juzgando entre las dos)
honrais solo á España vos
mas que a Roma todos ellos.

*Eidem idem de eodem.*

*Sic tua Pieridũ resonãt sacra carmina musã,*
*Vt videare tuis alter Apollo focis.*

## Alonso de Aguilar a su hermano el Autor.

EN vos soberano Orpheo
de voz y plectro diuino,
por vn modo peregrino
vn Aguila y Cisne veo:
A la que es de Dios Esphera
como Aguila os remontais:
y como Cisne cantais
su gloria, y la de Antequera.

## ¶ DEL DOCTOR AVGVSTIN de Tejada Paez al Auctor. Decimas.

LA Aguila remonta el buelo
al risco mas encumbrado,
Vos AGVILAR celebrado,
lo remontais hasta el cielo.
Y al mundo nueuo modelo
dais de ingenio singular,
porque el que os oye cantar
piensa qne sois cisne en Cumas:
y el que os ve batir las plumas
que sois Aguila, AGVILAR.

¶ Si el Aguila se rénueua
bañandose en la corriente,
vos os bañays en la fuente
que Dios elige, y aprueua.
Donde con la pluma nueua
tanto el buelo aueis subido,
que si el de Iuan fue admitido
en Christo (quando dormia)
vos en su madre Maria
aueis fabricado el nido.

## ¶ Joan Baptista de Mesa al Licenciado Ioan de Aguilar.

SI eternizas el dia,
en que hizo su espalda
puẽte Xenil, por dò passasse el Mõte,
que otro tiempo solia,
darle gloria al Escalda,
y aora se la da á nuestro Orizonte,
que mucho es se remonte,
tu nombre hasta el Cielo
Cisne en el cãto, y Aguila en el buelo?

## DE TRANSLATIONE, ET MIraculis Sanctissimæ Virginis Montisacuti Ioannis Aquilarij Panegyris.

INnoua, fert pietas, matrem celebrare Tonantis
Templa peregrinis translatam sedibus axis
Parrhasij ad veterem, rapidi qua Singilis, vrbem
Nomen habet. Tu virgo faue: te nostra Thalia
Læta canit: supplexque tuo se addicit honori.
Tu Virgo mihi carmen eris, dum vita manebit.
Tuque ò magne Parens, insignis gloria nostri
Sæculi, & Aonidum Mecænas inclyte, cœptis
Adspirato meis: & Virginis accipe laudes.
Cærula in angustum quà cogitur Amphitrite;
Et pater Oceanus sæuit, fluctuque sonanti
Verberat à Christi diuisos orbe Britannos:
Qua, Germane ferox, Erymãthida suspicis vrsam
Æthere pendentem summo, capitique minantem:
Et Musam, Scaldimque inter, celeberrima Belgis
Flumina: Sichemum iuxta, Demeræque liquentes
Propter aquas: medioque tui Brabantica tellus,
Asper in immensum collis se attolit Olympi
Æmulus, æthereoque illudit vertice nubes
Arduus aërias, supremaque sidera pulsat:
Vt monti asperitas dederit cognomen Acuto.

Hanc coluit sedē reliquis magis omnibus vnam
Virgo parens: dorso que domum sibi legit in alto
Exiguam: duraque cauo sub robore quercus
(Res mira) inclusit cœlo venerabile numen.
Ut qua mortiferi caput exitiale Draconis
Fregerat, hac eadem, prima vetus vlta parentis
Dedecus, infernique opera inuidiosa tyranni:
Diuino euertens astu, dextraque potenti
Tartarei prædam regis cœli que ruinam
Sedibus exigeret fœdissima monstra vetustis:
Vnde illa ambiguas voces responsa solebant
Reddere solicitis animis: Dodonia testis
Silua, habitaque olim Graijs oracula quercus:
Quas modo sancta suo cœli regina patentis
Purpureo sacrat vultu, quem pronus adorat
Angelus, & totus supplex veneratur Olympus:
Cui famulatur humus, quem pallidus horret Auer
Ad cuius radios caligine conditur atra (nus:
Phœbus, & obscura nequidquam lāpade fulget
Luna soror: tantum sacro decus enitet ore:
Vertice in hoc igitur virgo medicina, salusque
Extitit ægrorum, communeque gentis asylum:
Pugnarumque graues casus, horrentiaque inter
Tela, & inundantes ciuili sanguine campos,
Letiferos interque globos, tormenta per auras
Quos longè iaciunt, violenti fulminis instar
Ære cauo, quatiuntque æquantia mœnia cœlum:

Inter mille vias leti, discriminis inter
Mille modos, quos saeua parit vis Martis iniqui,
Catholici semper largam sensere benignæ
Matris opem: sensitque auersi numinis iras
Desertor sacræ fidei, legisque Batauus,
Qui insanum stulti sectatur dogma Lutheri:
Impia Catholico qui mouit bella Philippo.
Vt proles (sic fama canit) scelerata gigantum,
Corporis Enceladus metuenda mole superbus,
Et iuga protelis Rhætus montana coruscans;
Porphiriō, sæuusque Mimas, toruusq́, Damastor:
Tuque Typhee audax, atq́, Ætheris horror Echiō,
Cælestes ausi Phlægra testante, minaci
Solicitare manu sedes: solioque Tonantem
Deturbare suo; captiuaque numina cælo
Tracta (nefas) centum sæuis onerare catenis.
Ex templo totum volitans it Fama per orbem:
Ramque multiplici celebrat miracula lingua,
Quæ syncera Deigenitrix virtute potenti
Ediderat, reuocans alios é faucibus Orci,
Vitalique iubens animas iam luce carentes
Lethea reuehi cimba, indignante trifauce
Custode; & nudas rigidus qui transuehit vmbras
Nauta, Tartareæ Stygis admirantibus vndis,
Restituens alijs, longe post tempora noctis,
Æthereum lucisque iubar, Solisque decorem;
Et veras rerum formas, variosque colores.

*Ille fugit stygij sæuißima vincla tyranni*
*Torquentis, patiente Deo, miserabile corpus.*
*Vtitur hic membris æger: crura ille, manusque*
*Rite mouet: recipitque alius noua munera linguæ.*
*Denique post longi tristißima tædia morbi,*
*Et iam depositus graditur paraliticus olim:*
*Firmaque figit humi ~~validis~~ vestigia plantis.*
*Nota loquor. Vidit, Pater, ANTIQVARIA te*
*Obstupuitque rei populus nouitate fidelis:* (cũ.
*Obstupuit Medicina potens, Natura superbum*
*Cõtraxit collum, & victas dedit vtraque palmas.*
*Tu mihi, virgo, recens testis pro millibus vna,*
*Gaudia legitimi, quæ despiciens Hymenæi,*
*Conditionem hominum tædasque perosa iugales,*
*Principis ætherei thalamosque, fidemque sequuta*
*Auspice doctorum celebri ductore, superno*
*Vouisti sponso, quam longa in tempora vitæ,*
*Virginitatis opes, magno gratißima regi*
*Munera, virgineum qui ducit candidus agmen.*
*Esto, inquam, tu sola mihi, sacra fœmina, testis:*
*Tu dilecta Deo, virtutis macta virago;*
*Ægra quidem nuper, miseroque affixa grauato,*
*Iam vero incolumis cælestia virginis ora*
*Quæ & spectas, & grata illi soteria reddis.*
*Namque tibi, faciente fide, miserata iacenti*
*Virginei regina chori veneranda, potentem*
*Porrexit dextram, iußitque relinquere lectum;*

*Post ternos solis cursus reuolubilis anni,*
*In quibus Herculei morbi languore caduco*
*Vexata, humana iam deficiente medela*
*Ad magni regis matrem conuersa, petisti*
*Virgo fidelis opem: tulit & tua protinus ingens*
*Præmia digna fides: morbo fugiente vetusto,*
*Viribus, & priscis subito in sua membra reuersis.*
*Quid referam nautas? vectorum nomina longa*
*Quid memorē seriē? quorum tua templa frequētat*
*Nulli credibilis numerus, te, virgo, iubente.*
*Qui portum in columis tenuit, sæuique periclis*
*Defunctus pelagi, quā maxima vouerat alto*
*Dona tholo suspendit ouans, vestesque madentes.*
*Ipsa etenim vndisonos fluctus, pontique procellas,*
*Neptunique minas cohibes: verumque tridentem*
*Sola tenes: tumidique salis moderaris habenas.*
*Te colit ipse pater Nereus, quem falsa marinum*
*Fama canit regem, teque & Portunus adorat.*
*Nimbosusque tibi supplex assurgit Orion:*
*Tyndaridæque duo, timidis fœlicia nautis*
*Sidera, & æquoreas quidquid dominatur inundas.*
*Imperioque tuo vinclis, & carcere frenat*
*Æolus obscuro ventos, nimbosque frementes.*
*Interea magis, atq; magis noua surgere bella:*
*Atque intestino turbari Belgica motu:*
*Continuo Alecto crudeli armata furore,*
*Impiaque horrifici nutrix Discordia belli,*

*Ciuilis funesta ferunt incendia flamma*
*Pectoribus; penetrat tacitum pracordia virus,*
*Solicitatque hominum mentes, turbatq́; quietem.*
*Scindunt sese omnes studia in contraria Belga.*
*Hos agitant Furia, Martisque ferocis, Enyo*
*Saua comes, rauco armatas ciet are cateruas:*
*Inque Deum, regem inque suĩ iubet arma rebelles*
*sumere, & ardentes animos in pralia mittit.*
*Hos antiquus amor fidei, & rellitionis auita,*
*Imperiumque sui regis piacogit in arma.*
*Serica iam tenues volitant vexilla per auras:*
*Horrendoque tonant longè causa tympana pulsu,*
*Tympana rite Iouis trepidos imitata fragores.*
*Arma sonant, atque arma micãt, incudibus arma*
*Scintillant, gelidisque ardet Gradiuus in oris.*
*Per campos acies iam luce coruscat ahena:*
*& ferro, flammaque ferox insultat in hostem.*
*Aggeribus ruptis, effrena licentia ponti*
*Cum stabulis armenta suis, tumido aquore mergit:*
*Obruit incautos ciues, atque opida inundat.*
*Mania celsa cadunt; Marte impellente ruinam*
*(cum sonitu trahit horrifico sublimis ab alto*
*Turris: & innumera violentis ignibus vrbes*
*In cineres versa fumant. Furit impia flamma*
*In Cererem, segetes vastat, fælicis honores*
*Pomona Floraque rapit, latè omnia fædat.*
*Quin etiam templis rabies hostilis, & aris*

Non parcit, cupiens ausis violare nefandis,
Sacrilegaque manu sanctam venerabilis ædem,
Virgo tuam, frustra: nam summa potentia regis
Ætherei imposuit legem, Vulcane, modumque,
Dire tibi: iussitque acres incendia vires
Ponere, & innocuas leuiter sacra lambere tecta.
Nam velut ardenti regis fornace superbi
Imperio clausi pueri crepitantibus ignis
Illusere minis, spectante Semiramis alta,
Coctilibus cinctam muris quam condidit vrbem:
Sic non concessit sæuis attingere flammis
Virginis effigiem: cuius reuerentia mouit
Ipsa elementa, magis quam pectora dum scelesti
Hæretici: tam sæua animis dominatur Erynnis!
Quod metuēs magni Alberti prudentia, nec nō
Isabella, tuo pietas, quæ in pectore regnat:
Ambo Catholicis animis, cœlestibus ambo
Consilijs, fidei diuino robore, Acutum
Mutastis montem in nostram (mirabile dictu)
Singiliam, nam sola fides miracula tanta
Perficit, O soboles dignißima laude parentum
Immensa! O Caroli proles! o nata Philippi!
Vt taceam heröes, quos nunquam fama tacebit.
Nobile par regum iusti duo maxima belli
Fulmina, Catholico celebres cognomine, Martem
Bellonamque simul, te, inquam, Fernande, tuorum
Præsidium, cladem Mauri: te magna Virago,

*Isabella ferox, animis dulcissima nostris*
*Nomina, quæ stabunt, terris dum nomē Iberum*
*Stabit, & Hispano gaudebimus orbe recepto;*
*Relliquijs Arabum, pulsis Mahumetis alumnis,*
*Crudelique iugo, sæuaque tyrannide tandem*
*Omnino excusa; regali vindice dextra:*
*Sæcula Titanis postquam rota volverat octo.*
*Tam magna auspicijs debetur gloria vestris.*
*Rhenus ut Archiducis cognouit iussa, suumque*
*Dedecus: Hesperij queritur sibi Batidos oras*
*Præferri, Oceanique suis replet omne querelis*
*Æquor, & horrisonis mugitibus intonat vndas,*
*Thetyos inque aula fremit horridus ore superbo.*
*At Scaldis patriæ casu perculsus iniquo*
*Obstupuit; stetit vnda rigens, & fontibus hæsit.*
*Musa graui mærore iacens, solemnia ponto*
*Munera posse negat se persoluere aquarum,*
*Namque furens calido irarum tenuatur ab æstu.*
*Sub terris tibi pandis iter, trepidansque pudore,*
*O Demera infelix, raucocum murmure vectus*
*In patrem Scaldim, mœstis inglorius undis*
*Influis, antiquis nunquam fruiture triumphis.*
*Ipse etiam collis tanto spoliatus honore*
*Florea serta procul iactat; veteremque nitorem*
*Exuit; & varijs pro floribus induit acres*
*Nūc spinas, tribulisque, & sentibus horret acutis.*
*Nulla choros agitat Nais, lacrimatur Oreas*

*Valle suo, replent tristes iuga Celsa N apea*
*Questibus, et Driades gemitu nemus omne fatigat.*
*Denique nostrorum cultumque, fidemq; secuta*
*Hesperiam Sacra Virgo petit: Belgasque relinquit*
*Sponte sua: ut quondam regis pertasa cruentum*
*Hebraei facinus Nilotica fugit in arua,*
*Infanti metuens Christo, quem saeua tyranni*
*Quaerebat rabies furijs accensa malignis,*
*Auctorem vitae morte oppressura nefanda.*
*Sequana tunc primum plantis reuerentior vndas*
*Aduoluit, regina, tuis: atque aurea tanti*
*Numinis aggreditur liquidis vestigia labris*
*Tãgere: tentat idem Ligeris, rapidusq; Garumna:*
*Quisque suas certat studijs offerre Mariae*
*Largus opes: superant ripas, sistuntq; fluenta*
*Virgineum visura decus spectabile coelo.*
*Ast vbi peruenit, qua sese excelsa Pyrene*
*In coelum tollit, scopulisque minacibus auras*
*Contemnit volucres, ventosque lacessit inanes:*
*Relligione pia venerabile numen adorans,*
*Exaequat planis sublimia culmina campis:*
*Difficiles aperitque vias, sternensque salebras,*
*Aerium, regina, tibi caput inclinat mons.*
*Hinc progressa, pios vultu virgo inclyta Iberos*
*Laetificat: tandemque manus fugisse scelestas*
*Caluini gaudet: glauco decoratus amictu,*
*Et sacros tenera redimitus arundine crines*

*Lætitia fluis exultans, atque obuius vltro*
*Christifera aduentum gratàris Ibere, Maria.*
*Durius in primis celebris regnator aquarum*
*Hesperia, tuque auratas qui volvis arenas,*
*O Tage, splendori uos ostentatis Olympi.*
*Non deest officio leni pater agmine Bætis*
*Bætis Iberiacos inter rex maximus amnes,*
*Qui magis Oceano bellum ciet æmulus vndis,*
*Quam famulis inseruit aquis: ita mole superbit.*
*Vt vero sacri vultus noua lumina sensit,*
*Diuinoque suas decorari munere limphas,*
*Regia populeis velatus tempora ramis*
*Singilis, e summa niueum caput extulit vnda,*
*Adspectans lucem immensam, magnique Tonātis*
*Aligeras inter matrem aduentare cohortes.*
*Naiadum comitante choro, pius amnis ad ipsam*
*Progreditur ripam, meritos habiturus honores*
*Principis Ætherei matri, pro munere tanto.*
*Atque tuos excelsa pedes, regina volutus,*
*Et maiestatem tantam stupefactus adorans,*
*Talibus ora modis supplexque, hilarisque resoluit.*
*Salue, o vera Dei genitrix, pulcerrima, salue*
*Virgo iterum, cæleste meo decus addita regno:*
*Quæ procul Arctoi gelidis regionibus Axis,*
*Per varias gentes, atque aspera multa viarum*
*Nos petis: & tanto dignaris numine sedem*
*Nostræ vrbis: cuius merito iam mœnibus altis*

*Gratulor æternum decus: & mihi gratulor ipsi.*
*Dixit: & ingenti plauserunt murmure lymphæ:*
*Siluaque suppliciter flexit viridia cacumen;*
*Te tacitis, Virgo, tenutibus alma salutans.*
*Nimpharumque chorus ripis exsultat amœnis:*
*In iussusque leues ducit de more choreas*
*Inter semantibus nexis, instarque catenæ,*
*Gramine pars viridi, pars æquore mollis arenæ*
*Ludunt, alternisque mouent vestigia plantis*
*Ad numerum: repetitque cauis erupibus Echo*
*Carmina, quæ pulsis aurato pectine neruis,*
*Gutturis, atque lyræ mirando fœdere cantant.*
*Tunc pater ipse, iubens consistere protinus vndas,*
*Sceptro sternit aquæ fluctus, & prauius almæ*
*Virginis it pedibus ductor fulgentibus, vsque*
*Fluminis ad lati contraria littora, cuius*
*Sedulo in aduersa numen deponit arena.*
*Illa gradu celeri fluuium, camposque relinquit.*
*Donec ad antiquæ conspectum peruenit vrbis.*
*Quæcumque ingreditur reuirescũt gramina, flores*
*Dat genialis humus, frondes dat silua recentes,*
*Vernat ager, Zephiri spirãt; & prata colore*
*Gemmea pinguntur vario, ver ferre iubetur*
*Autumnus: floresque simul, fructusque alieno*
*Timpore Pomona adspiciens, miratur: & ipsa*
*Tellus purpurea subito se veste decoram.*
*Fama præit: procerũq; volans illapsa per aures,*

*Nuntiat aduentum sacratæ Virginis: inde*
*Vulgus adit; totamque euastat ciuibus vrbem.*
*Vndique turba ruit, studio cœleste videndi*
*Virginis os, latosque tenet denso agmine campos.*
*Fundit se se omnis populus, robusta iuuentus,*
*Inualidique senes, pueri, cupidæque puellæ,*
*Læti animis, læto testantes gaudia vultu.*
*Præcipue pius Antistes, Pastorque benignus,*
*Cui Deus ipse sui curam mandauit ouilis,*
*Occurrit, princeps opera inter talia semper:*
*Atque Sacerdotum magna stipante caterua,*
*Insignem comitatur ouans longo ordine pompam,*
*Effigiem donec sacrata in sede locauit.*
*Dumque optata diu Virgo subit aurea tecta,*
*Dulcisono mulcet iuuenum chorus æthera cantu:*
*Virgineasque sacro modulatur carmine laudes.*
*Tum sacer ipse preces Mystes effundit ab imo*
*Pectore, solemni cantu; pia turba canenti,*
*Atque animis, atque ore fauet, rumore secundo.*
*Singilis interea fœlici pignore diuæ*
*Virginis, & tanto cœli decoratus honore,*
*Quæque suis, cernens, accedat gloria ripis,*
*Et fortunatis antiquæ mœnibus vrbis*
*Singiliæ, atque adeo cupiens noua gaudia cunctis*
*Ostentare modis, cœlo gratissimus amnis*
*Præ reliquis, cygnos vocat in sua tecta canoros.*
*Rupe sub aëria, gelidi quæ ad Singilis oras*

*Tollitur in cœlũ, qua se ANTIQVARIA molli*
*Ostendens tumulo, spectat procul ardua limphas*
*Singilides, latumque nemus, camposque virentes*
*Versus Hyperborei sidus glatiale Boota;*
*Regia celsa Dei Pario de marmore constat*
*Antrum ingens, cuius solido ex adamãte columna:*
*Cristallo fabricata nitent sublimia tecta:*
*Versicolorque soli faciem depingit iaspis.*
*Stat medio, regis pro maiestate, tribunal*
*Gemmis collucens partim, partimque nitore*
*Electri, & Libyci dentis candore niuali.*
*Coralloque gradus, altumque sedile rubescunt,*
*Chrysolitisque ardent aureis, rutiloque pyropo.*
*Corniger, hoc sanctusque senex, canaque verendus*
*Cæsarie, in solio residet: gemmataque præfert*
*Sceptra manu: niueumque caput; crinesque decori*
*Vndique regali cincti diademate fulgent.*
*Huc dicto citius volucris properauit olorum*
*Grex: quatiens liquidum fugientibus aëra pennis,*
*Certatim magno cupiens se quisque parenti*
*Commendare; quibus vitrea suffultus in vrna*
*Ad læuam, senior placido sic ore profatur.*
*Cygni noster honos, dulcissima nostra voluptas,*
*Scitis quanta meis accrescat gloria rebus*
*Virginis aduentu, quæ in nostros secula fines*
*Aurea fert secum veteris de cardine mundi,*
*Secula Saturni non inferiora beatis*

*Temporibus vestri, nunc instat muneris vsus.*
*Nunc, si quando alias, vocalia pandite dulci*
*Guttura voce. Dei resonent mea littora Matrem.*
*Diuinis mulcete leues concentibus auras,*
*Luxque sit hac nobis gemma numerabilis alba.*
*Praeterea sancti nomen Pastoris in astra*
*Tollite, magnifico qui pectore feruidus altum*
*Vrget opus: decoransque nouo sacra festa triumpho,*
*Virginis, & Matris meritos celebrabit honores.*
*Nec vero ex vobis mihi non donatus abibit,*
*Pro tali officio, quisquam: namque ordine cunctis*
*Immortale decus, mirandaque praemia reddam.*
*Haec fatus, tremefecit aquas rex magnus: at illi*
*Assensere omnes dictis plaudentibus alis:*
*Ostendensque Dei praecepta facessere promtum,*
*In nidum celeri recipit sequisque volatu.*

*FINIS.*

¶SACROSANCTAE VIRGINI ASPRICOLlis incredibili miraculorũ multitudine clarissimę á Belgis vsque Antiquariam venienti Ioannes Aquilarius deuotus numini, maiestatiq; pietatis ergô .D.D.

ÆTherei regina poli, syncera Tonantis
Mater, & humanæ causa salutis, aue.
Tu modo ab Arctois Belgarum gentibus vsq;
Aurea Singiliam secula virgo geris:
Solamenq; piis, & opem mortalibus adfers
Morborũ oppugnat, quos numerosa cohors,

Te veniente, venit é cœli indulgentia terris:
Lætaq; fertilior prospicit arua Ceres.
Discinctusq; sedet positis Mars, impius armis;
Paxq; alma Hispanos æthere lapsa beat.
Pro quibus ecce aris supplex pia turba cliētum
Soluūt vota, cremant thura, feruntq; preces.

## *Eiusdem eodem argumento.*

IAm venit in veterem rapidus quam Singilis vrbē
Et celebri decorat nomine, & amne rigat;
Virgo decus cœli, terrarum gloria; Virgo,
Atq; Parens geniti, cui Deus ipse Parens.
Arctoa de gente venit, secumq; metallo
Secula Singiliam de meliore gerit,
Ipsa illi Virtus comes est, Verumq;, Fidesq;,
Iustitia, & prisca cum Probitate, Pudor.
Fulget Amalthee fæcundo Copia cornu:
Fulget fœlici sidere læta Salus,
Virginis aduentum sequitur genus omne bonorum,
Quidquid habet Tellus, quidquid Olympus habet.

## ¶ *AD VIRGINEM ASPRICOL lis super illud Canticorum. 6. Quasi Aurora consurgens.*

RES noua: ab Arctoo surgens Aurora cubili
Hesperium roseis in mare fertur equis.
In Tartesiacas venit optatissima terras,
Neptuno Alcides qua patefecit iter.
Præcipiti volat ecce iugo, victisq; tenebris,
Purpureum rutilo spargit ab ore iubar.

Illius aduentu, quamuis noctemq; diemq;
Libra pares trutinat, sæuaq; surgit hyems;
Vernat ager, virescit humus; noua germinat arbos;
Prata verecundo murice picta rubent:
Dulcia Singilidæ modulantur carmina cygni:
Leni auditurus Singilis amne fluit.

*LAVS DEO.O.M.*